

clari, quod Scotia testetur. *Kettne*s enim oppidum i n Scotia ulteriori Edwardus Primus illis ob operam egregie navatam dedit, & Henricus VIII patrum memoria Baronum titulo illustravit. Inde *Vedra* post pauca milliaria *Gaunlesse* fluviolum ab Austro admittit, ubi ad ipsos confluentes editiori tumulo imponitur *Aukland*, à querubus (ut *Græciae Sarron*) denominatum, quod turritas Episcopi ædes ab Antonio Becco magnifice restauratas, pulcherrimumque pontem prætendit, quem *Gualterus Skirlaw* Episcopus, circa annum C I O C C C C construxit, qui has ædes etiam adauxit, & ad *Tarum* *Tesim* ponte conjunxit. Hinc in Septentriones *Vedra* iter flectit, ut diutius hunc agrum irriget, statimque in collis supercilio, antiquæ urbis non morientis, sed plusquam mortuæ reliquias suspicit, quam Antoninus V I N O V I V M , Ptolemaeus B I N O V I V M dixit, apud quem ita suo loco exturbatur, & alio quasi sub axe locatur, ut semper delituisse, nisi digitum intendisset Antoninus. *Binchester* nobis hodie vocatur, unoque tantum & altero domicilio constat; vicinis tamen tum rudentis, mœnumque reliquis extantibus, tum Romanorum nummis sæpius effossis notissimum, *Binchester* penies illi vocant, Romanorumque inscriptionibus, è quibus in aram ibi nuper incidi, sic inscriptam?

Vino-
vium.Binche-
ster.De Dea-
bus Matri-
bus vide
in Com.
Lancaster.Anno
Christi
236.
Votum
solvit li-
bens me-
rito.

D E A B .
M A T R I B . Q . L O --
-- C L . Q V I N
T I A N V S -- C O S
V . S . L . M .

Aliud etiam saxum hic nuper eratum lacunis deformatum, quod hanc tamen penitus intuenti subostendit Epigraphen:

T R I B . C O H O R . I .
C A R T O V
M A R T I V I C T O R I
G E N I O L O C I .
E T B O N O
E V E N T V I .

Nec aliud de illa legi, quam quod liber vetus memorat Northumbriæ Comites ab ecclesiæ possessione, hanc cum aliis villis abripiuisse, cum sacra illa auri etiam sacras ecclesiæ facultates deglutiret.

Branspeth castrum inter consurgentēs colles in altera *Vedra* ripa apparet, quod à *Bulmeris* constrūtum, filia Bernardi *Bulmer* Galfrido *Nevill* nuptiis conjuncta, *Nevillorum* familia cum aliis magnis possessionibus adjunxit. Mox *Vedra* crebris saxis eminentibus interpolatus defertur, qua nisi vi imbrium flumen intumuerit, nunquam aqua integuntur, quibusque, quod non alibi accidit, si aqua infundatur, parumque misceatur, falsam imbibit qualitatem. Imo ad *Butterby* viculum, cum flumen æstivo tempore subsederit, è saxis illis aqua salsa subrufa exilit, qua solis calore ita albescit, & concrescit, ut accolæ hinc salem fibi colligant.

Branspeth
castle.

Saxa salsa.

Iam flumen quasi insulam molitorum primariam regionis urbem colli impositam undique ferre circumluit, unde nomen *Dunholm* à Saxonibus inditum. Collem enim, ut ex *Beda* colligas, *Dun*, & insulam amnicam *holme* dixerunt. Ex hoc D U N E L M V M fecerunt Latini, sed vulgus *Durham*, corruptissime vocat. Situ quidem editiori & sane munitissimo, spatio tamen non magno, ovali quodammodo forma flumine ab omni parte nisi à Septentrione circumfunditur, & moenibus firmatur. Ad Australē partem ferre qua flumen se reducit, *Cathedralis* ecclesia surgit pyramidibus & sacra turre conspicua, in medio imponitur castrum quodammodo intermedium inter duos pontes è saxo, quibus flumen hinc ad *Ortum*, illinc ad *Occasum* conjugitur; à castro ad Septentriones patet forum & S. Nicolai cernitur Ecclesia, unde in Aquilonem protenditur suburbium longius inter flumen circumductum, ut alia utrinque ultra flumen quæ ad pontes ducunt, & in singulis sua est scorsim ecclesia. Originem autem non admodum antiquam habet. Cum enim *Lindisfarnenses* monachi bellorum calamitate à *Danis* exagitati, incertis sedibus, cum S. Cuthberti reliquiis vagarentur: hic tandem oraculo, si credere libet, admoniti, circa annum salutis D C C C C X C V confederunt. Sed rem accipe ex authore meo *Dunelmensi*, *Comitans sanctissimi patris Cuthberti corpus universus populus in Dunholmum, locum quidem natura munitum, & non facile habitabilem venit, quem densissima undique sylva totum occupaverat, tantum in medio erat planities non grandis, quam arando, & seminando excolare consueverant, ubi Episcopus Aldwinus non parvam de lapide ecclesiam postea construxit. Igitur prefatus Antistes totius populi auxilio, & Comitis *Nordanhumbrorum* Vthredi adjutorio totam extirpans sylvam succidit, ipsumque locum brevi habitabilem fecit. Denique à flumine *Coquedo* usque *Tefam*, universa populorum multitudo tam ad hoc opus, quam ad confruendam postmodò ecclesiam prompto animo accepit; & donec perficeretur, devote infiere non ceperit. Eradicata itaque sylva, & unicuique mansoribus sorte distributis: Praesul antedictus amore Christi, & S. Cuthberti fervens, honesto, nec parvo opere inchoavit ecclesiam, & ad perficiendam omni studio intendit. Hæc ille.*

Non multis post annis Angli illi, qui Normanum imperium æquis oculis intueri non poterant, loci ingenio freti, in belli sedem elegerunt, negotiumque non parvum *Guilielmo Normanno* facecerunt. Scribit enim *Guilielmus Gemiticensis*, Concesserunt in partem Comitatus aquis, & sylvis inaccessibilem, firmissimo vallo erigentes castrum, quod *Dunholmum* nuncuparunt, ex quo diversos crebrius exagantes excursus, aliquandiu ibi delituerunt, *Sweni Danorum Regis adventum* præstolantes. Sed cum res ex sententia non cecidisset, fuga illi sibi consuluerunt; *Dunelmumque* adiens *Guilielmus* multis ad Ecclesiastice libertatis firmamentum indultis privilegiis, castrum, de quo diximus, in eminentiori collis parte extruxit, quod postea in Episcoporum habitationem cessit, ejusque claves, cum Episcopatus vacaret, veteri instituto *Cuthberti* sepulchro appendi solebant.

Cum hoc castrum jam extructum esset, *Guilielmus Malmesburiensis*, qui sub id tempus vixit, his

Dunel-
mum.
Durham,
five Du-
refme.